



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Bono Sodalitatis Partheniæ, Et Officiis Sodalitatis Erga Deiparam Patronam

Bourgeois, Jean

Antverpiæ, 1622

Cap. I. Officia omnia reuocari ad venerationem & imitationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48699)

L I B E R II.
 D E
 SODALIS PARTHENII
 O F F I C I I S
 ERGA SANCTISSIMAM
 D O M I N A M
 A C P A T R O N A M.

C A P V T I.

*Officia omnia reuocari ad veneratio-
 nem & imitationem.*



FFICIORVM Parthenij
 Sodalitatis tripartita potest
 institui ratio : quorum
 quædam ad religionem
 aduersus Deum, Diuam
 Matrem, cælestesque Patronos perti-
 neant, quædam referantur ad æquita-
 tem,

264 DE OFFIC. SODAL. PARTH.
tem, beneuolentiam & obseruantiam
erga proximos, siue maiores sint, siue æ-
quales, siue inferiores; quædam denique
moderationem sibi met adhibendam, &
priuatæ vitæ normam cõtineant. Quem
triplicem officiorum fontem videtur A-
postolus indicasse, cùm ait, *apparuisse*
gratiam Dei Saluatoris nostri, vt sobriè, iuste
& piè viuamus in hoc seculo. sobrietas ac
temperantia cuique propria virtus est;
iustitia rationem omnem agendi cum
proximo continet; pietas ad Deum reli-
giosè colendum pertinet. Eadem offi-
ciorum tria genera Zacharias Baptistæ
parens expressit, huncque esse Saluato-
ris in mundum aduentus scopum, *Vt sine*
timore de manu inimicorum liberati, serui-
mus illi in sanctitate & iustitia, coram ipso.
Sanctitas eadem est atque castimonia,
præcipuum temperantiæ decus, ac so-
brietatis ornamentum; iustitia rationem
versandi cum proximo, charitatem quo-
que ad beneficentiam ei præstãdam am-
plectitur: pietas in seruitutè Dei, coram
illo, posita est. Hæc prima præcipuaque
religionis pars, latria, Dei seruitus, si
quis

Tit. 2. 12.

Luc. 1. 74.
75.

quis se totum diuino m̄cipet obsequio,
 nec ab optimi eius Domini conspectu ac
 cultu cogitatione longiùs euagetur. De-
 nique partitionem eandem secutus vi-
 deri potest Archangelus Raphaël cum
 Tobia differens; *Bona est oratio cum ieu- Tobia 12. 8.*
nio & eleëmofyna, magis quàm thesauros au-
ri recondere. ieiunium temperantiæ, eleë-
 mosyna iustitiæ, oratio pietati respōdet.

Verùm cùm ea partitio latissimè pa-
 ret, singulaque si diffusius explicentur,
 membra iustum suum exigant volumen,
 vniuersa verò hæc scriptio, vnius Diuæ
 Matris honoris causa suscepta sit; offici-
 orum aduersus illam Parthenij Sodalis
 illa videtur compendiosior commo-
 diorque futura partitio, in duo summa-
 tim capita, quorum alterum sit venera-
 tionis, seu adorationis; alterum imita-
 tionis præstantissimarum eius virtutū; vt
 oculis mentis Patrona semper obuere-
 tur vel adoranda vel imitanda. Honor
 & cultus Sanctissimæ Matris adoratio-
 ne potissimùm defertur, at Sodalis bo-
 num & emolumentum imitatione con-
 tinetur, quamquam & imitatione se coli
 M valdè

266 DE OFFIC. SODAL. PARTH.
valdè reputat Diua Mater, & adoratio-
ne maximum meritorum quæstum facit
Sodalis; tamen ad huius spiritale com-
modum præcipuè refertur imitatio, &
ad Deiparæ cultum adoratio. Adoratio-
ni comes adiungitur inuocatio, & si quis
alius cultus pio Sodalitatis more atque
instituto defertur. De omnibus honoris
partibus, quas recenset Aristoteles, de
templis, imaginibus, peregrinationibus,
aliisue modis minùs vſitatis cultus Dei-
paræ, dicere mihi propositum non est,
sed de adoratione & inuocatione, tum
de virtutum eius imitatione: quibus
cancellis, quo breuior & gratior existat,
hic libellus includetur.

1. Rhetor.
15.

Sermo de
Natali S.
Laurentij.

Gloriemur in Domino, qui est mira-
bilis in Sanctis suis, in quibus præsidium
nobis cõstituit & exemplũ, ait præclare
S. Leo. Sed quanto hoc præsidium cer-
tius, & exemplum illustrius in Sanctissi-
ma Sanctorum omnium Regina Deus
nobis pro sua benignitate prouidit, tan-
to crebriùs ardentiusque illud est prece
continua atque adoratione præsidium
implorandum, & exemplum imitatione
con-

confectandum. Ac sanè mutuam sibi præstant opem veneratio atque imitatio, dum Virginis Matris in nos augent beneuolentiam, beneficentiamque prouocant; dum imitatio Virgini nos in dies magis conciliat, & ad eam imitationem magis exprimendam veneratio gratiæ vires obtinet, imitandumque; exemplar hoc circūfert semper in oculis. Vt impetres, inquit Bernard. eius orationis suffragiū, non deseras cōuersationis exemplū. Valet hīc illud Eccles. *Sicut qui thesaurizat, ita qui honorat matrem suam.* quamquam omnis honos à nobis exhibitus, eius meritis & dignitate immenso quodam spatio inferior est; tamen nisi eum quemcūque possumus vltro deferamus, animi ingrati notam turpissimam haud effugiemus, neque Saluatoris, qui matrem ab vniuersis quàm maximè in honore accultu haberi cupit, obseruantiaē aduersus eam ac voluntati faciemus satis. Sicut Pater omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium sicut honorificant Patrem; ita Saluator filius per amantissimæ Matris manus omnia nobis

indulget gratiarum munera ac beneficia, ut omnes honorificent matrem sicut honorificant filium. Honor ijs personis excellentibus defertur, auctore Philosopho, qui vel dedere vel dare possunt beneficia. Totis igitur medullis cordium, (vtar S. Bernardi verbis) totis prae cordiorum affectibus & votis Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius qui totum nos habere voluit per Mariam. Hanc porro venerationem atque adorationem si destituta sit imitatione, mancam esse intelligamus. *Summa enim religio est imitari quod colimus*, praecleara est sancti Augustini sententia. Atque vt nostri spiritualis fructus cupidissima est Virgo Mater, gravior illi est imitatio quam laudatio, magisque ei placeat deuotus imitator, quam laudator otiosus: sed vera laudatio cordis, imitatio est operis, ait egregius Virginis imitator & laudator Ildephonsus. qualis est inter actionem & contemplationem contemplatio, talis est inter adorationem & imitationem connexio. Adoratio est perfecta & compendio velut expressa

Serm. de
Aqua du-
c. n.

Serm. 1. de
Assumpt.

con-

contemplatio; præcipua verò laus fructusque actionis imitatio est. constet igitur hac vtraque. permixta, veneratione & imitatione, omnis nostra aduersus optimam Patronam officiorum absolutio.

CAPVT II.

Quenam Deiparæ Virgini deferenda sit adoratio.

CVM corpore constemus & animo, parte vna externæ quæ sub aspectum cadit immersi materiæ, parte alia spirituales & inuisibiles; adoratio quam Deiparæ deferre nos par est, vt ei nos subiter namus honoris eius causa, duplex omnino est, aut duplici parte constat: quarum altera sit instar corporis externa genuculatio, prostratio, denudatio capitis, eleuatio manuum, coniunctio palmarum, tussio pectoris, thurificatio, luminum accensio, & alia generis eiusdem; altera velut anima ac vita sit interna testificatio cum sui submissione, eximia quedam opinio & existimatio illius excellentis gratiæ & sanctitatis, summæque dignitatis Dei Matris, in qua existimatione intellectus volun-